APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R,

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

ANDREAS BLOMSTRAND,

SMOL.

DIE 2 APRILIS 1842.

P. LIII.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXLII.

Aphorismi Respondentis.

I.

Omnis doctrina, si mentem impleat scientia, animum vero moresque non emendet, rem bene consideranti nullo modo satisfacere potest.

II.

Paparum potestatem initio adeo non perniciosam fuisse, ut potius utilissima fuerit, ne dicam, necessaria, contendere ausim.

III.

Religio christiana omni humana intelligentia est major, neque sane nititur doctorum, qui dicuntur, variis sententiis verborumque controversiis; cujus tamen rei homines sæpe immemores fuisse, historia et experientia testatur.

tur, propter immunditias expellendas. Item deinceps ab octava corporis Christi ad adventuḿ domini, et ab octava epiphaniæ ad septuagesimam legatur de S. Erico per tres lectiones, feria tertia, nisi festum novem lectionum impediat, festo trium lectionum minime impediente.

De Funeralibus et Introductione.

Pro sepultura mortuorum nullus sacerdos pecuniam petat vel exigat, nisi completo officio sepulturæ, et tunc ultra V. oras non excedat. Similiter pro benedictione nuptiarum pecunia non exigatur nisi officio completo, sub pœna trium marcarum. Idem servandum est de introductionibus post partum.

De Maala.

Presbyter in pascha recipiat mediam oram de mercenario; de mercenaria unum solidum; de viro et mulieribus junctis matrimonialiter, aliis etiam servientibus seu in domibus laicorum moram trahentibus, unam oram. Contra facientes puniantur in tribus oris.

De Itineribus et pontibus prædiorum Ecclesiæ.

Qvilibet sacerdos pontes, sepes et vias bonis ecclesiæ attinentes seu adjacentes construere et reparare faciat; alioquin presbyter sive colonus pro prædiis per eos inhabitatis, dirutis et destructis respondeant secundum leges patriæ, et emendent episcopo.

De festis intra Octavas Corporis Christi evenientibus.

Si evenerit aliquod festum novem lectionum intra octavas corporis Christi, nisi fuerit totum duplex, transferatur vel anticipetur secundum ordinationem synodalem.

De Vigilis et diebus jejuniorum.

Hæ vigiliæ seu dies jejunenter in pane et aqua, sub pœna trium marcharum scilicet Johannis Baptistæ, Laurentii, Assumtionis Mariæ, omnium Sanctorum, Dies Parasceues, ab his qui sunt ætatis legittimæ. Sed per festum beati Erici Regis et Martyris jejunetur in cibis quadragesimalibus. Si quis autem ex devotione aliter jejunare voluerit, indulgentias XL. dierum consequuturæ. Istæ vigiliæ in cibis quadragegmalibus jejunentur: Natalis Domini, Paschæ, ascensionis Domini, Andreæ, Thomæ, Matthiæ,

Petri et Pauli, Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Symeonis et Judæ. Istis diebus semel lacticiniis uti licet: feria quarta Pentecostes, ipso die Marci Evangelistæ, feria secunda et tertia rogationis. Hæc profesta propter indulgentias multorum devota consvetudo jejunat: Mariæ Virginis, Corporis Christi, Angelorum, Exaltationis Crucis. Indulgentiæ festi corporis Christi Dominica Trinitatis publicentur. Primo D. Dies pro qualibet majorum horarum ipsius diei. Item pro processione totidem. Pro jejunio profesti totidem. Item qualibet die per octavas MC. dies: pro pace ecclesiæ celebrantibus CC. dies. Item sequentes Corpus Christi, cum defertur ad infirmos, quando cum lumine accenso CC. dies, sine lumine C. omnibus vere contritis et confessis perpetuo sunt concessæ. Feriæ quartæ, sextæ et Sabbatha quatuor temporum quater in anno etiam in cibis quadragesimalibus jejunentur. Indulgentiæ festi visitationis Mariæ publicentur pro qualibet majorum horarum C. dies, pro qualibet minorum XL. dies. Singulis octavarum diebus horis omnibus interessentibus C. dies conceduntur. Item profestum ejusdem consulitur jejunari. Item quoad Conceptionis Mariæ similes indulgentiæ, sicut Visitationis, præter octavas, quas non habet, publicentur. Item qui die conceptionis sermoni interest CXL. dies consequitur. Istæ indulgentiæ sunt perpetuo duraturæ

Cap. XXVIII.

STATUTA ABOENSIA. 1474—1480.

Inter episcopos ecclesiæ Aboensis eminet Conradus Bitze, qui sedem episcopalem tenuit ab anno **1460** usque ad annum **1480.** Res ecclesiæ accuratissime curans effecit ut quæ ipse, capitulum et clerus diœcesis Aboensis statuerant, in certis libellis colligerentur et conservarentur. Superest adhuc hæc collectio, non quidem in libellis originariis, sed in apographis satis bonis, scilicet in codice ecclesiæ Aboensi, Holmiæ jam asseruato, et in codice Cederhjelmiano, de quo supra. Exscripsit autem Peringschöldius in Diplomatario suo, ex quo fonte nos statuta hæcce repetimus, collatis codicibus tum Aboensi tum Cederhjelmiano. Ipsam epistolam proœmialem et quædam statuta reddidit Celeb. G. Porthan in doctissimo et excellentissimo illo opere: M. Pauli Juusten Chronicon episcoporum Finlandensium, pag. 558 ss. Appendicem horum statutorum I. ex codice Cederhjelmiano depromsimus.

In nomine Domini Amen.

Pernecessarius litterarum usus tanto commendabiliores reddit veteres ipsarum vigilantissimos inventores, quanto plus posteris dinoscitur multipliciter profuturus. Litteris enim facto jam dudum preterita efficiuntur occulta fide presencia. Litteris labilis fluidaque humani sensus memoria fit stabilis, firma ac quodammodo perpetua. Litteris denique clarescunt ratiocinia, tolluntur ambigua, perit perplexitas, provenit securitas, atque evolat sepe securus qui sine litteris fuerat interdum vexacionibus plurimis involvendus. Paucum proderit homini voluntas liberrima vel intellectiva potencia perspicacissima nisi assit et fidelis custos memoria, ut quod una voluerit et altera decreverit, hec velud fida thesauraria scripture monimentis adjuta reservet. Quidve valet rerum subtilium intellectis, quas sine litterarum patrocinio brevis admodum delebit oblivio. Cum omnium habere reminiscenciam auditorum divine sit condicionis pocius quam humane. Hinc est, quod vos N. prepositos ac capitulares ecclesie Aboënsis, propter diversarum vertigines casuum et causarum per nos actenus decisorum ac in futurum decidendorum, ad forum ecclesiasticum spectancium, qui quoque adeo graves hiis diebus preter solitum insurrexerant, ut patratores ipsorum nervum ecclesiastice discipline vi rumpere videantur. Consentanea communique omnium deliberacione desuper sepe facta, volumus singulos et omnes casus et causas deinceps demergentes, deoque juvante, justicie ministerio et nostra sollicitudine terminandos, in scripta plana redigi per aliquem juratum nobis scribam capitularem, nudam gestorum ac gerendorum negociorum veritatem continencia, ad que tamquam ad annales autenticos, recursus in submovendis dubiis habeatur, ne lajci rudes et opidani pericie litterarum expertes, negocia sua sollicitissime conscribentes, viris ecclesiasticis illuminatis, et ipsis laycis merito exemplaribus in hoc appareant quomodolibet prerogari. Neque ob hanc nostri ceptam sero vigilanciam, nobis aut nostris predecessoribus incurie desidieque vicium quis se iuste estimet irrogari, dum prior populus tenacis obedientie filius, desiderandeque pacis alumpnus suo tempore quicquid sancta mater ecclesia observandum duxerat, sine contradictione qualibet subire gaudebat. Quis itaque causam intentaret, dum nullus adesset qui de retroactis alterum impugnaret. Modernus autem predurus populus nervum habens ferreum, frontem eneam et caritatem gelidam, velud homo pestilens non amat eum qui se corripit, ymo non modo non amare, verum eciam si detur copia invadere non pavescit. Tres poinde conficere curavimus libellos, acta capitularia vel negocia complectentes. Unum qui statuta. Secundum qui causas mere spirituales et tercium qui civiles debeant continere.

Anno igitur Domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, prima die mensis aprilis, hoc opus sumpsit exordium, Christi nomine invocato:

Statutum huius alme aboensis ecclesie a tanto preterito tempore practicatum, cujus in contrarium memoria non existit, in suo perpetuo robore confirmantes, consensu unanimi innovamus. Videlicet quod presentes capitulares, eciamsi unus solus presideret, plenam domini episcopi auctoritatem ex jure communi duntaxat sibi concessam, ac ceterorum absencium concapitularium habentes, possint et debeant licite et libere, si aliud canonicum non absistat, ad diffinitivam procedere sentenciam super singulis casibus emergentibus decidendis, nemine penitus expectato propter sumptus pauperum litigancium divitandos. ac eciam alia reformacionem cleri, ecclesiarum vel scolarum concernencia ordinare, prout illis visum fuerit expediens atque justum nisi tales vel talia essent, qui vel que eorum facultatem excederent ymo omnium et singulorum eciam peritorum forent concilio haberent merito diffinire. Quique presentes solum deum pre oculis cordis habentes, consciencias manusque suas ab omni sorde muneris et munii faciant alienas, meram justiciam omnibus ministrando, si terribile summi judicis judicium ac penam capituli, cum eterni dei sentenciam, et reatum in libro vite voluerint evitare. ;

Nullus recenter in capitularem assumptus ecclesie Aboensis, prius admittatur ad secreta capituli pertractanda, vel vocem quovis modo habeat in eodem, utpote in prelatorum electionibus, canonicorum recepcionibus vel beneficiorum collacionibus, quam fisco dicte ecclesie Aboensis v markas monete Holmensis exsolverit cum effectu pro libris aut aliis jocalibus necessario reparandis.

Quilibet noviter assumptus jurabit se fidelitatem contra omnem hominem mundi, saluo juramento domino episcopo prius prestito, suis concapitularibus servaturum, eorum secreta minime detecturum, ac concordiam siue amiciciam ad invicem foturum quantum in se fuerit diebus omnibus vite sue.

Si dissidium inter singulares personas capituli aut emulacionis seminarium inter partem et partem oriri visum fuerit, omnes reliqui fideliter et constanter insimul collaborent, ut discordes celeriter reconcilientur, et emulacionis materia funditus abrogetur. Sed et nemo umquam parcialitates, scismata aut ligas, sub pena relegacionis a collegio capitulari, faciat, foveat aut procuret.